

Christo ex Judæorum gente nomen dederant, lectionis scripturæ amorem adeo non deposuerunt, ut eundem potius auxerint, fidem suam quam in Messiam olim promissum & jam jam apparentem habebant, corroboraturi. Qui veto ex gentibus Christo adjiciebantur, ad eundem veritatis fontem & ad eandem collationem inter promissiones & impletiones instituendam, fuerunt ablegati. Videamus Magistrum ipsum exemplo suo præeuntem. Ipse volutat libros sacros Luc. IV. 16, 17. eos enarrat Luc. XXIV. 27. & serio ad Scr. scrutationem cohortatur Johan. V. 39. Cum ergo illis a Christo commendata esset Scriptura, eandem commendabant omnibus piis legendam atque addiscendam; Et ut ipsi ex scriptura fidei articulos proposuerunt, ita quoque alios ad eam respicere jusserunt, ne extra verbum DEI speculantes, nova dogmata excogitarent. Inde *Petrus* fideles laudat & ulterius admonet, ut verbo Prophetico in Codice S. legendo, attendant, insignemque usum, quem ex lectione attenta hac habere possint, exponit, 2. Ep. 1. 19. *Paulus* vult Christi verbum in ipsis inhabitare exuberanter, quod fieri potest docendo, admonendo, cantando &c. Coloss. III. 16. nolebat *Thessalonicenses* in Christianismo jam firmissimos, parvi habere prophetiam seu scripturarum propheticarum enarrationem, ne credant, satis ipsos jam instructos esse, & majori informatione non opus habere, quæ exosa DEO arrogantia est; Sed ut aliorum quoque interpretationes, adhibita, uti par est, probatione, vel *δουλοῦσιν* admittant. 1. Thess. V. 20. 21. exoptavit ut omnes prophetarent, i. e. prophetorum scriptorum expositionis dono essent instructi, 1. Corinth. XIV. 5. Præcipue autem verbi ministrum inhæreere jubet debita cum attentione Scripturis 1. Tim. IV. 13. & eum tenacem esse desiderat ejus qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, ut potens sit adhortandi per verbum salutiferum & refellendi contradicentes Tit. I. 2. Joannes Theologus in Apocal. c. I. 3. beatos pronunciat, qui debito modo verba prophetiæ legunt & servant.